

sua salario dari jussert (quae illi hactenus redditum fuisse negant) eo sint contenti; et dicam Regiam e bonis suis administrent.

§. 2. Si vero salarium eis non reddetur; extunc dica bonorum suorum eis cedat: cum illa vix centum florenos in toto facere dicatur.

*Judicia in Eperies et Posonii Civitatibus celebrentur.*

**A r t i c u l u s 16.**

§. 4. In Sclavonia, similiter bis in anno, in Civitate Montis Graecensis judicia celebrentur, semel in festo Epiphaniae Domini et secundario in festo Beati Jacobi Apostoli.

§. 5. Et singulorum judiciorum termini, tam in Ungaria, quam Sclavonia, durent diebus quadraginta, exceptis festis.

*Locumtenens, adinstar aliorum Judicum Ordinariorum, per suum Proto-Notarium, omnes causas deinceps adjudicet: Praeter causas inter Regem et Regnicoles, ac defectus seminis et Regni Sclavoniae transmissionis.*

**A r t i c u l u s 18.**

§. 1. Deinceps omnes causas, etiam ratione haereditatis quorumlibet bonorum et jurium possessionariorum, instar aliorum Judicum Ordinariorum (demptis causis inter Regem et Regnicolas motis, quae judicio Palatinali subjectae sunt: Item causis defectus seminis et Transmissionibus, ex Regnis Sclavoniae et Croatiae, quas Dominus Judex Curiae, etiam in termino octavarum Locumententiae, ex Decreto Regni adjudicare debet) tempore generalium judiciorum, quorumlibet terminorum, in Sede Judiciaria Majestatis Suae adjudicare possit.

*Tricesima, a rebus et allodiatura Nobilium et Dominorum nulla exigatur.*

**A r t i c u l u s 25.**

Ut Tricesimitorum insolentia ubique, tam in Ungaria, quam Sclavonia compescatur, Majestas Sua Caesarea dignetur clementer efficere; ut contra antiquam et peculiarem Nobilitatis libertatem et praerogativam etiam de iis, quae ad usum domesticum emuntur, violenter Tricesimam exigunt.

**MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM VII. ANNI 1575.**

*Kaproncza Arcis munitio.*

**A r t i c u l u s 15.**

De munitione Arcis Kaproncza, nuncii Regni Sclavoniae referunt, se ad Generalem Statuum illius Regni Congregationem: In qua, cum Commissarii Majestatis quoque Caesareae affuturi sint; cum eis tractabunt et quod pro rei et virium suarum qualitate fieri poterit, obedienter praestabunt.